



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. I. Sítne in Deo tres res, tria entia, tres veritates, unitates &  
existentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

# DISPUTATIO LVI.

## De multiplicatione predicatorum in Trinitate.

### SECTIO PRIMA.

*Sintne in Deo tres res, tria entia, tres veritates, unitates, & existentia.*

**I.**  
Quam  
prædicata  
dicantur de  
divinis Per-  
sonis singu-  
lariter.



ERTUM in primis est prædicata illa, quæ Deitatis propria sunt, ut Deitas est, non multiplicari, sed de tribus Personis dici singulariter. Sic tres Personæ sunt unus Deus, una natura & essentia, unus Sapiens, Justus, Omnipotens, Creator, &c. Illa etiam prædicata, quæ unius peculiariter Personæ sunt, non multiplicantur: Sic esse genitorem uni Patri convenit, & non omnino multiplicatur: esse verò spiratorem Patri competit & Filio, qui tamen, ut supra diximus, Disp. 52. sect. tertiâ, sunt unus spirator, & sic de aliis.

**II.**  
Quæ prædi-  
cata semper  
dicantur  
pluraliter.

Illæ verò prædicata, quæ Personis sub ultimâ & expressâ ratione personali conveniunt, multiplicantur semper, & ut tales de tribus Personis prædicantur. Sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Personæ, tres Hypostases, non una: & idem est de reliquis id genus prædicatis.

**III.**  
Prædicata  
Essentia &  
Personalita-  
tibus com-  
munia.

Alia demum sunt prædicata, quæ tam proprietatibus personalibus, quàm Essentiæ sunt communia, qualia maximè sunt prædicata transcendentia, & de his præsens procedit quaestio.

**IV.**  
Sintne tres  
Personæ di-  
vinae, tres  
Res.

Primò itaque inquirimus, an tres divinæ Personæ dici possint tres Res. Ratio dubitandi defumitur ex Concilio Lateran. quod cap. *Damianus*, ait tres Personas esse *unam summam rem*; & idem docet S. Augustinus lib. 1. de Doctr. Christian. cap. quinto.

**V.**  
Tres Personæ  
divinae dici  
possunt tres  
Res.

Dicendum tamen in Deo esse tres Res. Hæc est expressa sententia S. Thomæ hic, q. 39. art. 3. ad 3. Hoc nomen Res, inquit, est de transcendentibus: Unde secundum quòd pertinet ad relationem, pluraliter prædicatur in divinis: hæc ille. Tenet etiam Suarez lib. 3. de Trin. cap. 6. Vasquez 1. p. d. 122. cap. 7. Granado hic tract. 5. disp. 1. sect. 2. num. 5. Tannerus 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 4. num. 9. & alii communiter.

**VI.**  
Docent Pa-  
tres Perso-  
nas divinas  
esse tres res.

Hæc etiam sententia traditur à Sanctis Patribus: Sanctus enim Augustinus à S. Thoma citatus, 1. de doctrinâ Christi, cap. 5. ait, *Tres Personas divinas esse res, quibus fruendum nobis est*. S. etiam Anselmus lib. de Incarnatione Verbi, cap. 3. *Nihil prohibet, inquit, duas Personas, Patrem & Filium dicere duas res, si tamen intelligatur, cujusmodi sint res*: quoad proprietates nimirum, non quoad naturam. Quo etiam modo intelligendum est Concil. Lateranense, & S. Augustinus supra num. 1. citatus. Rationem verò subdit S. Anselmus: *Solemus enim, inquit, dicere rem, quicquid aliquo modo dicimus esse aliquid: qui autem de Deo Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum dicit, aliquid dicit*.

**VII.**  
Satis est  
dicere Per-

Rationem reddit S. Thomas in 1. dist. 23. q. unicâ, art. 4. corp. quia Res idem sonat ac quid ra-

tum & firmum: Personæ autem divinæ secundum ultimas sui rationes quid ratum sunt & firmum: ergo. Adde hanc vocem Res, non quidditatem, seu Essentiam significare, sed realitatem. Unde Suarez citatus, num. 3. ait realitatem multiplicari in divinis Personis. Vasquez item disp. illa 122. cap. 7. num. 31. asserit in Deo esse tres realitates: & eodem modo loquitur Granado, loco supra citato: ut verò Theologorum regula servetur, qui in hac materiâ cautè loquendum monent, satius est Personas divinas, non tres res aut realitates dicere absolute, sed tres Res, vel realitates relativas, & eas appellat Bellarminus libro 2. de Christo, cap. 16. & alii. Quo tamen non obstante, sunt una res, & realitas absoluta.

Quoad prædicatum *Entis*, communis hodie est Theologorum sententia, eam in Deo pro multiplicatione Personarum multiplicari, cum sit prædicatum transcendens, non minùs quàm Res: ita Suarez, Vasquez, Tannerus, Granado, & alii supra citati, qui proinde dicunt, in Deo non minùs esse tria entia relativa, quàm tres res relativas. Quando ergo S. Thomas in 1. dist. 25. art. 4. negat in Deo esse tria entia, capit *Ens* pro esse simpliciter & absolute, & prout soli competit Essentiæ: si enim latius sumatur, pro eo scilicet, quod habet positivam rationem existendi, & distinguitur à non ente, sic tres Personæ, cum habeant triplex esse relativum, realiter distinctum, erunt tria entia.

Idem, ob rationem transcendentia, existimo de aliis duobus prædicatis, *unitate* & *veritate*, multiplicari scilicet in Personis, sicque etiam omnes tres Personæ sint unus Deus, quia habent eandem Naturam, seu Essentiam, cum tamen singular Personæ sint una Persona, quæque suam habeat unitatem necesse est, sicque in Deo erunt tres *unitates relative*, & consequenter tres *relative veritates* transcendentales, iis respondentibus: quamvis veritas simpliciter, seu absoluta, sit tantum veritas Essentiæ, quo sensu loquuntur Patres, dum in divinis unam solummodo asserunt esse veritatem.

Quæres, quid dicendum sit de existentia, utrum scilicet in Deo multiplicetur. Cajetanus, Capreolus, Vasquez 1. p. disp. 126. cap. 2. Granado hic, tract. 5. Disp. 1. sect. 3. num. 21. & alii, negant dari in Deo tres existentias, etiam relativas. Contrarium tamen videtur probabilius: ita Suarez hic, lib. 3. cap. 5. & alii: quamvis enim divinitas, seu Essentia existat per existentiam absolutam, juxta illud Exodi 3. v. 14. *Ego sum qui sum, & Qui est, misit me ad vos*, tres nihilominus sunt existentia relative, trium personalitatum propriae: existentia quippe nihil aliud est, quàm actualitas entis: cum ergo, ut jam ostensum est, sint in Deo tria entia relativa, quæque secundum ultimam sui rationem, & ut distincta ab Essentiâ sint quid actuale, tres etiam dabuntur existentia relative, iis correspondentes.

Circa vocem Essentiæ, communis jam usus obtinuit, ut significet sola prædicata absoluta, unde non

*Sons divin  
nas essentia  
res relati-  
vas.*

*Sunt in Deo  
tres realita-  
tes.*

*VIII.  
Sunt in Deo  
tria entia  
relativa.*

*Quo sensu  
negat S. Tho-  
mas esse in  
Deo tria  
Entia.*

*IX.  
Sunt etiam  
in Deo tres  
unitates, &  
veritates re-  
lativa.*

*Quæque Per-  
sona suam  
habet exis-  
tentiam.*

*X.  
In Deo sunt  
tres existentia  
relativa, &  
una ab-  
soluta.*

*Singulis per-  
sonis suis  
suis sunt res  
pondet exis-  
tentia.*

*XI.  
Non possunt  
in Deo esse  
tres abso-  
luta.*

eadem tres Effentia, etiam relativa.

non possunt in Deo concedi tres Effentia, etiam relative, non magis quam tres Natura 3 quamvis gravissimos auctores, ipsumque etiam S. Thomam in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 1. hoc modo loquentem videam: hic tamen q. 39. art. 5. videtur mutasse sententiam.

XII. Quo sensu Filius sit Effentia de Effentia.

Quando ergo S. Augustinus, quem assert Sanctus Thomas proxime citatus ait *Filium Dei esse Sapientiam de Sapientia, & essentiam de essentia* (quo etiam modo loquitur Concilium Tolet. 15.) afferit S. Thomas has locutiones non esse extendendas, sed exponendas: sensus ergo, inquit, est: *Filius, qui est essentia & sapientia, est de Patre, qui est essentia & sapientia*, quod non magis arguit in Deo esse plures essentias, quam cum dicitur, *Filius est Deus de Deo*, arguit esse plures Deos.

XIII. Quod pertinet ad terminum substantia, multi ex Patribus negant in Deo tres substantias; multi, ut S. Hilarius, S. Anselmus, & alii concedunt. Addi tamen debet particula limitans, ne videatur intelligi de substantia absoluta.

SECTIO SECUNDA.

De multiplicatione predicatorum negatorum, increati, immensi, &c.

I. Certum est hac predicatam multiplicari adjectivum.

QUESTIO est, utrum hac predicata multiplicentur, substantivè sumpta, seu utrum sint tres aternitates, immensitates &c. adjectivè enim multiplicari certum est, cum sint tres habentes aternitatem, immensitatem &c. & in hac acceptioe sunt tres aterni, immensi &c. sicut hoc sensu sunt etiam tres divini, seu tres habentes divinitatem.

II. Quo sensu S. Athanasius negat in Trinitate tres aternos, immensos, &c.

Difficultas autem oritur ex symbolo S. Athanasii, ubi negatur esse in Deo tres increatos, tres aternos, immensos &c. sed ait dici debere in Deo unum tantum esse increatum, unum immensum &c. Nimirum substantivè. Verum hoc S. Athanasii dictum non obstat, quo minus in Deo dentur tres aternitates, infinitates &c. relative, & eodem modo tres increati, immensi, aterni &c. licet absolute non sit hoc modo loquendum, cum increatum (idem est de aliis) absolute & simpliciter stet pro predicato Essentia, de quo solo loquitur illic S. Athanasius contra Arianos Essentiam in Patre diversam statuentes ab Essentiâ Filii, & consequenter diversos in Trinitate statuentes increatos, aternos, immensos &c. non relativè sed absolute.

Negat Sanctus Athanasius tres increatos, &c. absolute.

III. Sunt in Trinitate tres increati relativi.

Mihi ergo probabilius videtur cum P. Arriaga hic, Disp. 49. sect. 4. dici posse dari in Deo tria increata relativè. Ratio est eadem quâ Disp. præcedente sect. 2. probavi tres Relationes ut. mente præcisâ ab Essentiâ esse tres perfectiones. Eodem ergo modo hic argumentor: Filiatio (idem est de aliis Relationibus) ut distincta à Paternitate & Essentiâ, est increata: ergo non est increata per illam formam vel formalitatem, qua Paternitas, aut Essentia est increata, cum, ut dixi, concepta sine illis sit increata: ergo hanc denominationem accipit à formâ, vel quasi formâ sibi propriâ. Idem argumentum fit de Paternitate respectu Filiationis, & de Spiratione passivâ respectu utriusque: ergo sunt in divinis tria increata.

IV. Sunt in Deo tres aterni.

Eadem ratione admitti in Trinitate possunt tres aternitates & immensitates relativæ, sicque etiam

relativè tres aterni & immensi. Ratio est, cum enim, ut Disp. præcedente, sect. 2. num. 11. dixi, Relationes divinæ sint essentialiter determinatæ ad omne tempus & locum, & consequenter sint suæ ubicationes & durationes, ubicatio autem ad omnem locum possibilem determinatæ, sit immensitas, & duratio determinatæ ad omne tempus, sit similiter aternitas, erunt tres aternitates & immensitates, tribus Personis respondentes, cum quæque Persona sit per se ad omne tempus & locum determinatæ. Unde miror P. Suarez concedere in Deo tres durationes relativæ, & negare tres relativæ aternitates, cum duratio ad omne tempus essentialiter determinatæ, sit aternitas.

Sunt & immensitates relativæ.

Singula Persona divina sunt sua immensitas & aternitas.

Tres in Deo infinitates relativæ admittit Pater Suarez, Arriaga & alii, cum singulæ relationes sint infinite perfectæ, ut dixi Disp. præcedente, sect. primâ, num. 6. infinite inquam perfectæ in suo genere, infinitas enim simpliciter soli competit Essentiâ. Hæ tamen Relationes infinite perfectæ, non sunt perfectiones simpliciter simplices, ut ibidem ostendi num. septimo, & octavo.

V. Sunt etiam tres infinitates relativæ.

Quoad immutabilitatem, si sermo sit de immutabilitate quoad locum, aut tempus, jam diximus multiplicari, hoc enim modo sumpta immutabilitas aliud nihil est, quam immensitas & aternitas, de quibus dictum est numero præcedente. Immutabilitas verò in intelligendo & volendo videtur multiplicari non posse, sicut nec multiplicantur intellectus & voluntas, ad quæ sequitur. P. Arriaga tamen citatus, num. 41. ait si per hanc immutabilitatem intelligatur incapacitas habendi novos actus intellectus & amoris in tempore, quemadmodum simile predicatum convenit rebus non intellectivis, dici posse hoc predicatum in divinis multiplicari. Tandem si per immutabilitatem quis intelligat repugnantiam ad formas, vel substantiales vel accidentales, recipiendas, sic videtur mihi hoc predicatum multiplicari, cum unaquæque Relatio, ut distincta ab Essentiâ, habeat hanc repugnantiam.

VI. Sintne in Deo tres immutabilitates.

Tres diversæ immutabilitatis acceptiones.

Circa tres alias Dei perfectiones, Simplicitatem, incomprehensibilitatem, & ineffabilitatem, existimo multiplicari: nec enim minus simplices ex se sunt singulæ Relationes, quam Essentia. Singulæ etiam Relationes secundum se sunt incomprehensibiles, ad cuiusque enim rei comprehensionem perfectam, comprehendi debent omnes illius termini, terminus autem Relationum est Essentia, quam omnes fatentur comprehendi non posse. Idem est de ineffabilitate juxta supra dicta de ineffabilitate Dei, Disp. 21. sect. 1. num. decimo.

VII. An in Deo multiplicetur simplicitas, incomprehensibilitas, & ineffabilitas.

Libet hic dictum quoddam D. Dionysii de Divinis Nominibus, cap. 1. part. 1. post medium, apponere, quod quamvis metaphoricum sit, Trinitatem tamen, divinarumque Personarum multiplicationem non incite explicat. *Quod primordialis, inquit, & fontana Deitas sit Pater, Filius verò, & Spiritus Sanctus fecunda Deitatis (si fas est dicere) germina plantata Divinitus, & veluti flores, ac super-substantialia lumina à Scripturis Sanctis accepimus.* A Sancto etiam Gregorio Nazianzeno Filius & Spiritus Sanctus appellantur *geminus radius Patris*: sicut enim lumen à luminoso, & radius à sole, ita Filius & Spiritus Sanctus à Patre procedunt. *Pro-* priè tamen loquendo unum tantum in Deo est lumen, una lux, ut S. Augustinus, S. Thomas, & alii passim affirmant.

VIII. Metaphorica D. Dionysii circa Trinitatem locutio.

Filius & Spiritus Sanctus sunt geminus radius Patris.

